



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

B. Andreas De Chio M. 29. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

29. Maii. VITÆ SANCTORUM. 347  
tereâ canere illis arrisit ; vis nosse quam  
suaviter ; non dubitavit vocem illis suam  
Angelus jungere , quam ut primùm illi  
audierunt , non placuit jam morari in  
vitâ , illuc abierunt ubi canere Angelos  
nunquam non audirent. *Ex Baron. &  
Pet. de Natal.*

*Frustra appellamur Christiani , si imita-  
tores non sumus Christi , qui ideo se viam  
dixit esse , ut conversatio Magistri forma es-  
set Discipuli , & illam humilitatem elige-  
ret servus , quam sectatus est Dominus.  
S. Leo serm. 5. de Nat. D.*

B. ANDREAS DE CHIO M.

29. Maii.

ANDREAM habes *Maria* , ut paucis  
dicam , corculum. Juvenis annos  
natus XXVII. cùm febrî æstualet , vovit,  
si *Virgo* salutem donaret , sese ei invicem  
castitatis florem donaturum. Voti dani-  
natus integritatis propositum palàm  
candidâ veste professus est , ut orbis sci-  
ret *Virginis* eum candidatum esse , & ve-  
stium nives virginis animi essent indi-  
ces. Et quidni sic candidatus martyrum  
etiam honores prensaret ? Enimverò  
Constantinopolim abiit eo ipso tempo-  
re , quo fidem Christi prodidit , nescio  
quis , philosophus. Quisquis fuerit ,  
hoc etiam nomine indignus fuit. Cer-  
te potuit barbatus histrio à juvene

Y 4

AN-

ANDREA discere, primum in Christianâ philosophiâ dogma esse, mortem pro Christo contemnere. Captus enim blanditias & aurea promissa risit. Savientium verò impetus velut cautes in mari fluctus excepit. IX. omnino dies carnificina duravit. Inter quos potuere Mahumetani flagellis, & uncis lacerare corpus, sed non animum: locis suis artus ejicere distrahereque, sed non in suam sententiam trahere: gladiis humeros secare, membra singula per singulas carnificinas carne spoliare, sed non fide perinde ac constantia ANDREAM, qui inter tot dolores oblitus tamen dolorum, unius *Mariae* recordabatur, illud unum semper inclamans: *Maria juva me, Maria juva me.* Er verò juvit illa, integrum quotidie corpus ad pugnam suggerens, necquidquam barbaris hoc medicinæ suæ ascribentibus. Demum omnibus cruciatibus superior, capite minutus est. Corpus templum *Mariae*, animum quidni sinus *Mariae* excepit? *Ex Suriotom. 8.*

*In hac lacrymarum exulantes valle clamemus ad Virginem, quatenus agnoscat Mater filios, liberet captivos, delicias celestibus impinguata famelicos, convertat misericordes obtutus suos ad miseros, & offensi Filii justitiam spectat ad gratiam.*  
S. Laur. Just. serm. de Ass. B. M. V.

S. ISA-